

Handwritten text on the right edge of the page, including numbers and symbols, partially obscured by the binding.





DISPUTATIO JURIDICA  
**DE PACTIS**

QUAM 1633, 2.

In florentissimâ Academiâ Argenti-  
nensi,

PRÆSIDE

VIRO CONSULTISSIMO

DN. GEORGIO DAVIDE

LOCAMERO, J. U. D. ET P. P. FA-

cultatis Juridicæ p. t. Decano: Dn. suo, Præ-  
ceptore & Fautore observanter

colendo,

Publicè & solenniter examinandam  
proponit

JOH. FRIDERIC. HAUPERTUS,

Heidelbergâ - Palatinus.

Hab. in auditorio maiori, 27. die Iulii.

ARGENTORATI.

Typis IOHANNIS REPII, Anno 1633.



IUS CIVILE




IUS CANONICUM



Collegium Argentinense.



127



RESPECTATIO JURIDICA  
 DE PACTIS  
 OLIVIA  
 in personis et de hereditate Argentini  
 PRÆSIDII  
 VIRO CONSULETSSIMO  
 D. N. GEORGIO DAVIDE  
 LOCAMERO. J. U. D. P. P. P. A.  
 cunctis Juridicis p. e. Decano; Dr. h. c. p. r. e.  
 capto & p. r. e. o. b. s. e. r. v. a. n. t. e.  
 Coloniæ  
 Publice & solenniter examinatus  
 proponit  
 JOHANNES DAVID  
 JOHANNES DAVID  
 Typis JOHANNIS REPPII, Anno 1633.



MAGNIFICENTIA, NO-  
BILITATE AC MERITIS IN  
PUBLICUM EMINENTISSIMIS  
VIRIS,

DN. MELCHIORI de INSULA,  
Christianissimi Galliarum Regis Cubiculario, Consi-  
liario & ad Ordines Imperii Legato.

DN. JOSIÆ GLASERO, Floren-  
tissimi Suecorum Regni Consiliario & ad Remp. Ar-  
gentoratensem totamque Viciniam Legato, Com-  
missario Generali.

DN. GEOR. MICHAELI LINGELS-  
HEMIO, Incltyti Electoralis Palatinatûs Consiliario  
& Procancellario.

DOMINIS SVIS ET PATRONIS HV MILITER  
OBSERVANTISSIME QVE COLENDIS.



*Magnifici Nobilissimiq; Viri. Ex-  
ercitium istud Academicum, pro-  
pediem solenniter instituendum,  
ausus sum inclytis nominibus Ve-  
stris inscribere. Impulit insignis  
Vestra humanitas & favor in literatos, imò  
& qualemq; profectûs literarii spem de se  
gignentes: ut planè mihi persuadeam, nullius  
Vos unquam conatum aspernari; præsertim  
cùm id nonnihil pertinere videatur ad exem-  
plum*

A 2

plum

plum quod aliis, ipsi in summo eruditionis fasti-  
gio constituti, ad idem virtutis iter calcandum  
præbetis. Hæc itaq; ratione fretus, scriptiunculã  
hanc eo vultu à Vobis acceptum iri confido, quò  
quæ Vobis non ingrata sunt respicere soletis.  
Splendore Vestrorum nominum, longè quidem  
(quod fateor) est indigna, & quæ vix quid-  
quam aliud præter nauseam & ludibrium à  
Vobis meritò mihi tribuendum primã fronte  
promittat: verùm enim verò, qui magnorum  
virorum perpetuò ferè genius est, bono animo  
esse & latiora sperare jubet, solitus oblata non  
ab eorum pretio sed offerentis animo æstimare,  
& humilibus annuendo Numini, quod quò  
propius accesseris hoc sis perfectior, assimilari.  
Genius iste Vester si & mihi faveat, erit ut  
posthac quoq; Vobis, quoad pro tenuitate meã  
potero, submissi ac observantis animi studium  
probare adnitar. Ceterum ut Vos, Magnifici  
Viri, boni publici columnas, summus ille vitæ  
salutisq; nostræ Sospes, à tristi mortalitatis casu  
quàm diutissimè servet incolumes, animitus  
opto.

Vestrum

MAGNIFICI NOBILISSIMIQVE VIRI,

Argentinae IX. Cal.

Aug. anni 1633.

humilis observantissimusq; cultor

Iohannes Fridericus Hauptus.

PRO O E M I U M.

**N**on abs re summus aequè Jureconsultus ac Orator Cicero, pactum ita justum esse, ait, ut juri prestare dicatur. Quamvis enim jure civili quis obligatus sit, adeoque jus ipsum ei adversetur, si tamen post in contrarium pactus esse deprehendatur, praetor secutus aequitatem naturalem, cui quae placuerunt servare congruit, exceptione pacti conventi eum tuetur. Hanc itaque rem, naturam nempe pacti, qualitatem ejus atque vires aliis paulò inquirere nunc est animus. Tu mihi dux magne DEUS: meque in perplexâ hâc materiâ palantem dirige, ut quae vera sunt & justa videam, dijudicem, promam.

T H E S I S I.

**C**ùm pactum genere suo quaedam sit conventio; ideò de hâc quaedam sunt praelibanda, antequàm speciatim illud praebamus.

II.

Conventio infert respectum convenientis ad eum qui cum convenit: unde requiri distinctas distinctarum partium personas, quibus tanquàm absolutis respectus ille innitatur, oppidò manifestum est.

*De Conventione in genere.*

III.

Uti & de illo dubium non est, quòd debeant habere facultatem consentiendi, *l. 1. §. conventionis. 3. de Pact. l. an inutilis. 8. pr. de acceptil.*

IV.

Hanc quibus natura negat, uti infanti, furioso, mente capto, ii penitus convenire nequeunt, *§. furiosus. 8. & §. sed quod*

*A 3.*

*quod*

quod. 10. *Inst. de inutil. stipul. l. 1. §. furiosum. 12. & §. seq. de Oblig. & act.* Atque his quoad ea, quæ verba ore prolata, vel scripturâ exarata requirunt, mutos, surdos, & cœcos suo respectu accensendos esse res ipsa loquitur, *d. l. 1. §. mutum. 14. & seq. de Obl. & act.* quin nec ebrii hinc sunt ablegandi, ratio siquidem egreditur intrante vino.

V.

Quibus verò solâ lege ob lubricum consilii facultas illa est adstricta, uti impuberibus & prodigis, hi sine auctoritate vel consensu tutoris curatorisve sui, hætenus saltè non possunt convenire, ut conditionem suam faciant deteriore, *§. pupillus. 9. & seq. de inutil. stip. l. contra juris. 28. pr. de pact. l. obligari potest. 43. de Oblig. & act. l. is cui bonis. 6. de Verb. oblig.* Huc pertinent & minores, qui quamvis per conventionem obligando sese vel aliis remittendo ipso jure teneantur, *arg. l. puberes. 101. de Verb. oblig.* tamen (non quidem indistinctè. *l. quod si minor. 24. §. non semper. 1. de minorib.* sed) si æquitas postulaverit, exceptione defenduntur: idque perpetuò, si curatorem habeant, intra tempora verò restitutionis tantum, si sine illo constituti sint, *l. si curatorem. 3. C. de in integr. restit. minor.* Quin & omnibus hisce personis, etiam cum auctoritate vel consensu tutorum curatorumve pactis ac læsis in integrum restitutionis beneficium non denegatur, *t. t. C. si tut. vel curat. interv. & l. si pater. 3. C. de curat. furios. vel prod.*

VI.

Habilitas hætenus indicata si adfit, conventio perficitur medio intellectu & voluntate: quorum ille instructus esse debet accuratâ ejus quod agitur notitiâ; quam impediunt error & persuasio dolosa: unde actus conveniendi illis inquinatus omni prorsus utilitate carebit, *uti docent l. si cum te. 51. & l. juris gentium. 7. §. ait prætor. 7. cum §. §. seqq. h. t. de pact.*

In



## VII.

In hac voluntate nimirum, requiritur liberaplanè & omnimodò spontanea inclinatio in objectum. Faceffat itaque metus & coactio: itidem quippe vana erit conventio, si contagione horum laboret; idque adeò verum est, ut & ob solam doli, metus, concussionisve suspensionem leges nostræ pactiones quasdam improbaverint, ut sunt quæ à clientibus cum procuratoribus & advocatis, & cum medicis à periclitantibus pro salute fiunt, *juxta l. sumptus quidem. s. h. t. l. si qui. s. & l. quisquis. 6. §. 1. C. de postul. l. archiatri. 9. C. de profess. & med. l. si medicus. 3. de extraord. cognit.*

## VIII.

Excitari porrò debet voluntas ab obligatione & interesse aliquo, & subsequi intellectum directum formatumve à Legibus.

## IX.

Unde patet consensionem Doctorum in aliquâ opinionione hùc non spectare, cum per eam neuter alterum sibi obligare intendat.

## X.

In idem & consequitur de eo neminem efficaciter convenire posse, quod ejus nihil interest. Juris enim regula est, ideò inventas esse obligationes & conventiones, ut unusquisque sibi adquirat, quod suâ interest, *§. alteri. 19. Inst. de inutil. stipul. l. stipulatio. 38. §. alteri stipulari. 17. de Verb. oblig.* Et hæc quoque causa est, cur non valeant pacta, quæ proponuntur *in l. pen. h. t.*

## XI.

Nullius quoque momenti sunt conventiones, quæ Legibus (sive directò, sive obliquè) adversantur *l. jurisgenitium. 7. §. ait prator. 7. h. t.* uti sunt (1) quæ à jure communi remotæ sunt & publicam causam contingunt: *d. l. 7. §. si pa-*  
*ciscar.*

*ciscar. 14. cum duabus seqq. h. t. l. si unus. 27. §. pacta quæ turpem  
4. l. inter debitorem. 42. eod. (2) quæ sunt contra juris civilis re-  
gulas: l. contra juris. 28. pr. h. t. sanctiones videlicet juris, qui-  
bus aliquid jubetur aut prohibetur fieri, veluti ne pupillus  
in præjudicium sui quid paciscatur: d. l. 28. ne pacto remit-  
tat quis Falcidiam in futurum: l. quod bonis. 15. §. 1. ad L. Falcid.  
De iis autem, quæ permissivè & in favorem privatorum in-  
troducenda sunt, licitè conveniri potest, juxta d. l. 7. §. 14. & seq.  
l. pacisci contra. 31. & l. in emptionibus. 43. h. t. (3) quæ fiunt  
de rebus impossibilibus vel naturâ, de quibus per se liquet,  
& innuitur in l. non impossibile 50. h. t. vel jure (qualia sunt &  
censenturea, quæ inhonesta sunt & contra bonos mores,  
l. filius qui. 15. de condit. instit. l. continuus. 137. §. cum quis. 6. de  
verb. oblig.) uti in terminis docetur in l. si unus. 27. §. pacta quæ  
turpem. 4. h. t. & l. pacta quæ contra. 6. C. eod. veluti de heredita-  
te viventis, l. ult. C. h. t. ne dolus quandoq; committendus,  
præstetur, néve delicti in futurum committendi nomine  
agatur, d. l. 27. §. illud. 3. & seq. h. t. item, ne quis faciat delictum  
l. juris gentium. 7. §. si ob maleficium. 3. h. t. id quod tamen inutile  
tantum est ex parte non delinquentis, non item ex parte pa-  
cipientis, si contra hunc delictum sit, juxta d. l. non impossi-  
bile. 50. h. t.*

## XII.

In genere, quæcumque in obligationem veniunt, de  
iis conventiones iniri possunt. In eam autem veniunt, quæ-  
cumque pecuniæ vel præstari que possunt, l. statuliberum. 9. §.  
illud. 2. de statulib.

## XIII.

Ex quo liquet, ea quæ ad statum cujusque pertinent,  
non esse idoneum conventionis objectum, l. liberos. 10. C. de  
liber. caus. & l. jus adgnationis. 34. h. t.

## XIV.

Omnibus, quæ indicata sunt, requisitis ita concurren-  
tibus & positis in actu, existit *Consensio adstringens alterum  
alteri,*

755.  
alteri, quã voluntatem suam alterius voluntati conformavit: in quo ipsa forma & essentia conventionis consistit.

XV.

Consensio talis si speciale nomen habeat, vel hoc deficiente datione vel facto subnixa sit, contractus appellatur *l. juris gent. 7. §. quæ pariunt. 1. & §. seq. h. t.* quòd si verò neutrum horum obtineat, sed in nudis consensionis sive placiti finibus persistat, pacti vel pactionis, item pacti conventi, nomen in specie fortitur, *uti apparet ex t. t. de pact. & passim alinnde.*

XVI.

Pactum porrò in specie & strictiùs ita dictum, vel à lege specialiter est confirmatum & dicitur legitimum. *l. legitima. 6. h. t.* vel contractui cohæret eique est insertum, & lex contractus esse, vel legem contractui dare dicitur. *in d. l. 7. §. quin imò. 5. h. t. l. contractus. 23. de Reg. Jur. & l. 1. §. si convenit. 6. depos.* vel tandem utriusque ope & adistentiã caret, & nudum, vel *κατ' ἐξοχὴν* pactum appellatur *l. 1. §. 1. l. 7. §. sed cum 4. & toto h. t. & passim alibi in jure nostro.*

De Pactis  
in specie.

XVII.

Quantum ad pacta legitima, diximus ea specialiter à lege esse confirmata: ubi notandum, quòd conventio à lege confirmari bifariam dicatur, vel quia lex certam ei formam dat, qualis est stipulatio & contractus Emphyteuticus *§. adeò 3. Inst. de locat. & conduct.* vel quia licet nullam ei peculiarem formam tribuat, tamen eam aliàs per se nudam ex numero cæterarum conventionum exemit & ad actionem confirmavit; quæ posterior significatio hujus est loci.

De Pactis  
legitimis.

XVIII.

Sunt autem pacta legitima confirmata ad obligationem & consequenter actionem inde competentem non modò producendam, sed & (ipso jure *l. si tibi. 17. §. quedam. 1. h. t.*) tollendam, *d. l. legitima. 6. h. t.*

B

Pacta

## XIX.

Pacta legitima, quæ pariunt obligationem & actionem sunt; pactum donandi *ex Constit. Justin. in L. si quis argentum. 35. C. de donation.* & promissio dotis *ex Constitut. Theodos. & Valent. in L. ad exactionem. 6. C. de dot. promis.* hodiè tamen post *L. un. § 1. C. de rei uxor. act.* semper fingitur ei inesse stipulatio.

## XX.

Ad hanc classem Wesemb. *in parat. de pact. n. 4.* refert quoque stipulationem & literarum obligationem, fretus hâc ratione, quòd cum nullum *συνάλλαγμα* contineant, non pariant jure civili obligationem æquitate contractûs, sed dispositione legis. Verùm quominus cum illo sentiam facit, quòd (ut ante monui) pacta legitima strictiùs & magis propriè illa dicuntur, quæ lex simpliciter ad agendum efficacia esse voluit, non quibus (ut hîc accidit) propriam aliquam formam adjecit, cujusmodi quæ sunt, illa non pacti legitimi sed contractûs juris civilis nomine veniunt. Ratio item allata prorsùs nihil efficit: cedò quippe ullû *συνάλλαγμα* quod contineant contractus merè consensuales, quod non etiam in quovis tandè pacto ostendere possis, an nè propterea contractus illos ex numero conventionum juris gentium exterminatos legitimis aggregabimus?

## XXI.

Giphan. *de pact. disp. 15. th. 103. & seqq.* hîc refert & jurandum, item *ihes. 23.* pactum compromissorium, *nixus L. cum antea. 5. C. de recept. arb.* neutrum benè: quoad prius enim, ex pacto illo cui juramentum quasi innititur, nulla est actio; sed in eum, contra quem juratum est (cò quòd pro confesso aut judicato habetur *l. post rem judic. 56. de re judic.*) ad instar judicati in factum actio datur *l. actori. 8. C. de reb. cred.* quoad posterius *in casu d. l. 5. C. de recept. arb.* nec pars  
utar-

ut arbitrum adcat, nec ipse arbiter ut sententiam ferat vigore ejus pacti possunt cogi; sed in favorem actoris conceditur actio ad similitudinem judicari, idque tum demum, ubi sententia partium subscriptione vel silentio decendii fuerit (utiloqq.) homologata.

## X X I I.

Quæ ab Edicto prætorio efficaciam sortita sunt, propriè quidem non sunt legitima, sed tamen rectè hûc vocantur, cum eandem vim obtinuerit hætenus Edictum prætoris, quin & ipse Cicero *act. 3. in Verr.* illud Legem appellat, & utique hodiè auctoritate Justiniani pro Lege habetur. Ex Edicto illo exempla duo occurrunt (1) constituti, (2) hypothecæ: hoc tamen posterius propriè & verè legitimum dici nequit, sed hætenus tantùm & abusivè, quâ per illud res pignori (id quod etiam tacito pacto fit interdum, ut si quis in ædes conductas quid intulerit invexerit, *l. item quia. 4. pr. h. t.*) obligatur, & jus in re constituitur, & ita efficitur, ut Serviana actio Edicto proposita pro re istâ quoque persequendâ locum habeat, uti more suo, id est acutè notat Clarif. Bachov. *ad Treutl. de pact. th. 2. lit. D. ibi, hypothecam.*

## X X I I I.

Sunt & pacta de usuris præstandis, in *l. frumenti. 12. C. de usur. l. etiam ex nudo. 30. ff. eod. Novel. 136. cap. quia verò. 4. l. periculi. 5. §. 1. & l. in quibusdam. 7. de naut. fæn.* quæ & ipsa, ad agendum valida cum sint, neque tamen cohærentia aliqua contractus sibi commodè fingi possit, à Lege id accepisse mihi persuasum est.

## X X I V.

Alia insuper sunt pacta legitima, quæ ipso jure obligationem & actionem tollunt: cujusmodi sunt pacta cõmissoria & de additione in diem: ejusdem generis etiam sunt

A 2 pacta,

227  
pacta, quibus remittitur actio injuriarum aut furti, *l. non solum. 11. §. 1. l. sed si unius. 17. §. si ante. 6. de injur. l. si tibi. 17. §. quaedam. 1. l. si unus. 27. §. pactus. 2. vers. sed si. & §. pacta qua. 4. l. jurisgent. 7. §. si paciscar. 14. in f. h. t.*

XXV.

11.  
De Pactis  
adjectis.

Haecenus de pactorum genere illo, quod à lege robur accipit: nunc de altero, quod à contractu, cui est conjunctum, vires suas habet, eique inesse, legem dare, & actionem illius formare dicitur *in sepel. l. 7. §. quin imò. 5. h. t.*

XXVI.

Ad effectus istos obtinendos jungi potest pactum non omne, nec omni (contractui sc.) nec semper.

XXVII.

Non omne, sed id duntaxat, quod congruit naturæ contractûs, ejusque præstationes concernit, uti habet communis Interpretum opinio, teste *Jas. in d. l. 7. §. 5. h. t.* eaque firmatur verbis *J. C. t. in §. seq. 6. pronuntiantis*, ea inesse, quæ ex eodem sunt contractu.

XXVIII.

Nec omni, sed contractui solùm ei, qui bonæ fidei esse dicitur, *d. l. 7. §. 5. & l. in bonæ fidei. 13. C. h. t.*

XXIX.

Nec semper, sed vel in contractûs ingressu, vel ex continenti illum subsequendo, *d. l. 7. §. 5.* aliquando tamen etiam pactio ex intervallo facta ex parte agentis locum habet, si nempe contractum nudo consensu cōstantem circa substantialia ejus sequatur, *d. l. 7. §. adeò autem. 6. h. t.* quo tamen casu accuratiùs loquendo recessum à priori & novum contractum intercessisse dicendum est, *juxta l. pacta conventa. 72. de contrah. empt. & l. si quam. 2. de rescind. vendit.*

XXX.

Format autem, sicut diximus, tale pactum actionem  
contra-

contractus, ita ut non juxta naturam contractus, sed secundum legem formamque pactionis instituat, *uti id explicat Wesemb. parat. h. t. nu. 9. subf. & evidenter satis innuitur in l. in emptionib. 43. h. t. & l. ex empto. ii. §. 1. de act. empt. atque sic pro consequendo, quod istiusmodi pacto continetur ipsa contractus actio dabitur, præterque eam alia nulla.*

## XX XI.

Non sapit, quod Baldus *in d. l. 7. §. 5. h. t. n. 4.* duas actiones nasci ait, alteram informatam per pactum: alteram præscriptis verbis, quæ nascatur immediatè ex ipso pacto. minus adhuc, quod Duarenus *ad eund. loc.* contendit, nullam actionem cui proprium nomen inditum sit, formam agendi præscriptis verbis excludi. Utrumque luculenter satis confutat regula illa juris, quæ traditur *in l. 1. 2. 3. de præscript. verb.* effugere illam miris modis tentat Duarenus, sed sanè non elabitur.

## XX XII.

Tandem videndum superest de tertio pacti genere, quod utriusque (& legis & contractus) adfistentiam destitui supra dixi, de pacto nempe nudo, de quo præcipuè agitur sub titulo de pactis, & ad id solum pertinet edictum prætoris, *quod proponitur in l. juris §. 7. ait prætor. 7. d. t.*

III.  
De Pactis  
nudis.

## XX XII I.

Pactum nudum tendens ad commodum actoris, jure nostro obligationem ad agendum efficacem non producit *d. l. 7. §. sed cum nulla. 4. & seq. & passim h. t. & alibi*, parit tamen saltè obligationem naturalem, uti communiter tenent Interpp. quorum opinionem confirmant legitimorum pactorum exempla, quorum absque dubio naturalis obligatio dedit causam, ut ipsa confirmarentur, *uti videtur Bachovio ad Trentl. de pact. th. 9. lit. A.* Effectus igitur illos quoque

B 3. habe-

127  
habebit tale pactum, qui aliàs à jure nostro tribuuntur obligationi naturali, ut quòd proficiat ad retentionem soluti, novationem, deductionem in constitutum, compensationem, & accessionem pignoris & fidejussoris.

X X X I V.

Si verò tendat ad commodum Rei, tùm ex edicto prætoris (jure enim civili strictè accepto secus esse apparet *ex l. creditori. 5. C. h. t. junct. l. quòd si. 3. §. 1. de pecun. constit.*) vi exceptionis ei tributâ servatur *d. l. 7. §. ait prætor. 7. h. t. junct. §. sed cum nulla. 4. d. l. & §. prætereà. 3. Inst. de exception.* Exceptionem istam privilegiatam esse veterum quidam absurdè contendebant, quos refellit *Wesemb. parat. ad h. t. n. 10.*

X X X V.

Dicitur autem exceptio illa, quæ Reo accommodatur ex Edicto prætoris, aliquando exceptio pacti; aliquandò verò doli, ubi subtilis ratio prohibet dari exceptionem pacti, & hoc ipsum est quod dicitur *in l. rescriptum. 10. §. plerumq. 2. h. t.* quòd exceptio doli sit subsidium exceptionis pacti.

X X X V I.

Si pacto subjecta sit poenæ stipulatio, in casum, quo fortè alter petierit, tùm vel exceptione pacti, vel actione ex stipulatu, prout elegerit, uti potest is qui pactus & stipulatus est, *d. l. 10. §. 1. h. t.* utrumque remedium simul adhibere nequit, *ut liquet ex verbis. d. l. prout elegerit. fac. & l. si pater. 12. §. si mulier. 2. de pact. dot. l. apud Celsum. 4. §. Labeo ait. 7. de dol. except.* secus quàm in casu *l. qui Romæ. 122. §. ult. de Verb. oblig.* ubi contra exceptione exclusum datur insuper vi stipulationis exactio poenæ, quod & accidit in casu *l. pen. de transact.*

X X X V I I.

Quod autem ante dixi, ex pacto nudo liberatorio non nisi exceptionem dari, adeoque Reum ab obligatione, quâ tenetur actori, non ipso jure per tale pactum liberari, id verum est de obligatione civili; de naturali non item. per hæc enim



enim solam Reus si nexus sit actori, pacto tali factô omnino ipso jure tutus est, *iuxta l. Stichum. 95. §. naturalis. 4. de solution.* imò & fidejussor, qui pro eo intercessit, ipso jure liberatur *d. l. 95. §. 4.* ( qui tamen & civiliter obligatus est *l. stipulatus 6. §. ult. cum l. seq. de fidejussor.* ) sublatâ quippe obligatione principali tollitur & fidejussoria, quæ illius est accessio § *fidejussores. 5. Inst. de fidejussor. junct. l. si Stichum. 38. §. 1. in f. ff. eod.*

XXVIII.

Hactenus de Effectu pacti ex Jure civili: Jure gentium siue naturali, ex quâvis quantumcumque nudâ & simplici conventionenascitur efficax obligatio, ex quâ dari quoque potest actio, & quidem ex ratione istius juris omninò danda est, uti sentiunt communiter Dd. & rationibus aliquam multis probat *Wes. parat. h. t. n. 9.* Jus Canonicû ad eandem hanc simplicitatem Juris gentium rediit, ut & hodierna consuetudo, quæ jus istud secuta videtur, *vid. Wesembec. d. l. num. 10.*

XXIX.

Dividuntur pacta nuda sub titulo ff. de pact. ferè dupliciter: PRIMò in expressa & tacita *l. Labeo ait. 2. pr. h. t.* illa expresso, hæc præsumto nituntur consensu, cui præsumptioni factum aut alia justa causa subest, & quam fovent Leges: aliâs absque hujus adfistentiâ si fuerit, fictio talis nihil operabitur, *uti ex l. tale pactum. 40. §. post divisionem. 2. l. in personâ. 30. §. 1. h. t. & l. eum qui. 56. §. 1. de Verb. oblig. evidenter apparet.*

*De Pactis expressis, & tacitis.*

XL.

Una species taciti pacti ex facto à lege præsumti proponitur *in d. l. 2. §. 1. h. t.* ubi si chirographum debitori suo creditor reddiderit, colligitur pactum de non petendo & remissio debiti, quod non itidem fit reddito pignore, *juxta l. postquam. 3. h. t.* Quæritur autem, annon saltèm ex restitutione pignoris, ejusdem illius obligatio remissa præsumatur: id affirmandum esse crediderim *cum Baldo in l. 2. §. 1. h. t. ubi ejusdem sententia auctorem laudat Dynum, fac. l. 1. §. 1. de lib. leg.*  
& præ-



827  
& præterea, quòd cum re contrahatur ista obligatio, illâ retrotraditâ hæc sublata esse intelligenda sit, utique per exceptionem. Unde limitandum id putat Bachov. *adh. t. cap. de sec. div. pact. n. 3.* ut non procedat in re, quæ hypothecæ fuit obligata, & cujus possessionem actione hypothecariâ creditor est consecutus: si enim, inquit, post concessio ulteriori termino ad solvendum rem restituat debitori, non videtur remisisse jus pignoris, sed in priorem causam rem restitutam voluisse. Advertendum esse præterea, censet idem, quantum ad quæstionem propositam: interesse, an quis ultrò tradat rem pignori obligatam, an petenti debitori, qui eâ uti velit, quo casu negat obligationem esse remissam.

X L I.

Altera species est *in l. si tibi. 17. §. de pignore. 2. h. t.* ubi ex pacto ne petam, per exceptionem tollitur obligatio pignoris. Idem pactum tacitum introducitur ex restitutione chirographi, in quo quid pignori nexum est *l. creditricem. 7. C. de remis pign.* Quæritur hîc, si in cautione redditâ alius simul sit obligatus, quidnam quòad hunc operetur redditio: & hunc liberari arbitror, si sint correi socii; si non sint, tum nihil eam operari præterquam in personâ accipientis.

X L I I.

Quid verò, si ex pluribus tabulis eodem exemplo conscriptis, unas reddiderit creditor, an procedet decisio *d. l. 2. h. t.*? Negat id Duarenus *in d. l. 2. & ibid. in § 1.* Fortun. Garz. *n. 1.* sed communis opinio est in contrarium, Gail. Bartol. Bald. Castr. Jaf. *in l. 2. h. t.* Menoch. *lib. 1. præsumpt. 140.* & ea omninò vera est (1) ex regulâ *L. veteribus. 39. h. t.* (2) quia humanior est sententia, quæ favet liberationi. (3) quia indefinitè *in d. l. 2. §. 1. h. t.* ex restitutione chirographi induci pactum responsum est (4) quia nullus finis illius traditionis alius iatelligi in dubio potest, quam remissio debiti.

Aliud

## XLIII.

Aliud exemplum taciti pacti est *in l. qui in futurum. 57. d. pr. h. t.* de non petendâ fortè intra certum tempus, quod inducitur per usurarum acceptionem in antecessum; cæterò quin enim usuræ sine causâ essent apud creditorem.

## XLIV.

Acceptilatio quoque & novatio inutilis (non ratione voluntatis, sed propter defectum solennitatis, aut intervencum personæ de rigore juris incapacis) habet vim taciti pacti de non petendo *l. si unus. 27. §. pen. & l. in personâ. 30. §. 1. h. t. l. an inutilis. 8. pr. de acceptil.* Plures casus, quibus tacitum pactum statuitur, & qui fortè occurrunt alibi, inquirere nunc non vacat.

## XLV.

DEINDE pacta nuda alia in rem, alia in personam facta esse dicuntur *in l. juris. 7. §. pactorum 8. h. t.* illud, si indefinite pactum sit *ne petatur*: hoc, si cum expressione personæ, *ne à Lucio Titio petatur*. Subjicit ibidem & monet Ulpianus ex sententiâ Pedii, personam adjectam non facere, ut protinùs pactum sit personale, sed imò personam plerumque adjici, ut demonstretur cum quo sit pactum, & proinde ex mente convenientium potius, quàm ex verbis æstimandum esse, utrùm in rem, an in personam pactum sit.

De Pactis  
in rem: &  
in personâ.

## XLVI.

In rem, vel in personam pactum esse, regulariter & usitate dicitur respectu debitoris; hujus quippe respectu contingunt illi effectus, qui reali & personali pacto à jure nostro tribuuntur, *faciunt exempla posita in d. l. 7. §. 8.* Interdùm tamen & abusivè pacta ex parte creditoris ita vocantur, *ut in*

C

*l. qui*

l. qui in fut. 57. §. 1. & l. contra juris 28. §. si filius. 2. vers. si verò.  
h. t.

#### XLVII.

Observandum quoque (1) quod Wesemb. notat h. t. n. 3. pacta realia hinc vocari respectu transmissionis, non etiam respectu obligationis. nam hactenus omnia pacta sunt personalia, & personas obligant non res, & regulariter non transeunt extra personas paciscentium l. si unus. 27. §. pacta quaetarpem. 4. vers. ante omnia. h. t. (2) quod Bachov. ad h. t. cap. de divis. pact. n. 1. verbum personale hoc in loco specialiter usurpari eo sensu, quo dicimus personalia esse privilegia, quae nec heredibus competunt: cum alio sensu & actiones & obligationes personales sint, quae haud dubie descendunt in heredes.

#### XLVIII.

Pactorum in rem & personam conceptorum diversitas in effectu se exserit ista: quod haec regulariter personam paciscentis non egrediantur l. idem in duobus. 25. §. 1. h. t. illa vero pertineant & ad heredes paciscentis l. si pactum. 9. de probat. & ad alios quoque, omnes nimirum eos, ad quos ea res pertinet l. & heredi. 21. §. ult. h. t. uti mox pluribus dicam.

#### XLIX.

An quis alteri pacisci possit.

Regula quidem est, quod ut stipulari, ita & pacisci alteri nemo possit §. si quis alii. 4. Inst. de inutil. stipul. arg. l. stipulatio ista. 38. §. alteri. 17. de Verb. oblig. nec cui alterius pactum nocere debeat, arg. l. inter stipulantem. 83. pr. de Verb. oblig. à qua tamen exorbitant variis casus, quos ad quatuor summa capita redigam: quorum primum fit de pacto facto ab uno ex correis: alterum de eo, quod administrator aliquis fecit: tertium de pactione in iura ab eo, qui in potestate alterius est, vel

vel contra qui alium in potestate habet: *quartum*, de pacto auctoris & successoris.

L.

Ad *primum* quod attinet, CORREI voce hic utor ad significandos omnes eos, qui in unam eandemque obligationem sunt conjuncti, sive principaliter; sive accessorie; sive alter hoc modo, alter illò: unde quadruplex occurrit quaestio, I. *an & quatenus ex correis principalibus unius pactum proficit (puta si sint correi debendi) vel noceat (puta si sint correi credendi) alteri*: ubi ante omnia in universum quoad hanc & seqq quaestiones (1) notandum ex *l. & heredi. 21. §. ult. junct. l. fidejussoris. 23. h. t.* quod pacta in rem proficiunt omnibus, quibus ut proficit principaliter & pecuniarie interest paciscentis (2) quod pacta in personam soli paciscenti, non itidem ei, cujus obligationem dissolutam esse interfit paciscentis, proficiunt; si nempe particulam taxativam contineant, *exemplol. nisi hoc. 22. h. t.* absque illa enim si fuerit, tum etiam si persona demonstrata sit, tamen ex mente paciscentium *juxta l. jurisgent. 7. §. pactorum. 8. h. t.* pro realibus habentur, adeoque & proderunt iis, de quibus ante dictum. (3) quod si expressè alterius in eandem obligationem conjuncti persona sit inserta, tum & illi proficit, etiam si prodesse ei, principaliter & proprie non interfit paciscentis, ita ut alteri illi propter expressam hanc conventionem saltè exceptio doli tribuatur *l. idem. 25. §. ult. & l. seq. h. t.* His praemissis, nunc ad quaestionem ipsam accedo.

L I.

Unius correi debendi pactum, etiam si in rem ( indefinite puta, absque expressa alterius mentione ) conceptum sit, alteri non prodest *d. l. idem. 25. junct. l. fidejussoris. 23. ( quas*

307  
conjungendas esse in scriptio docet) *h. t. fac. l. liberationem. 3. §. nūc*  
*3. de liberat. leg. nisi socii sint, vel obligationis utilitas ad utrū-*  
*que ( ut in casu l. creditor. 2. C. de duob. reis. ) pervenerit, tūm*  
*enim quatenus paciscentis interest, etiam à correo non*  
*peti, exceptio etiam alteri convento dabitur ex ratione d. l. 21.*  
*§. ult. h. t. Hodie cū iuxta Novel. 99. correi habeant benefi-*  
*cium divisionis, indistinctè creditor pro parte ejus cui pa-*  
*cto remisit, alterum convenire nequit.*

LII.

Unius correi credendi pactum licet in rem, licet vé ex-  
pressâ alterius mentione factâ, conceptum sit, tamen alteri  
non nocet, etsi socii fuerint *l. si unus. 27. pr. h. t.* Sunt, qui pu-  
tât, in casu quo socii sint, pro parte saltem obstare exceptio-  
nem correo petendi, pro ea nempe, quam socio restituere:  
teneretur alias: cui opinioni nescio quam prætendūt æqui-  
tatem, quam tamen celebrinam esse, nec legibus nostris,  
convenire existimo.

LIII.

Alterâ quæstio, quæ ex suprâ traditâ divisione oritur, est:  
*an & quatenus pactum unius ex duobus Reis accessoris, si ve fide-*  
*jussoribus ( qui non nisi correi debendi esse possunt ) alteri profit:*  
Paucis, fidejussoris pactio non prodest confidejussori, nisi  
expressâ eius mentione factâ *l. fidejussoris. 23. & l. videlicet. 26.*  
*h. t.* Illud ultrò apparet, pacto tali cæteris fidejussoribus adi-  
mi non posse beneficium divisionis, quod ex epistola Ha-  
driani habent.

LIV.

Indidem exurgit tertia quæstio: *an & quatenus pactum*  
*Rei profit fidejussori & contra.* Rei pactum in rem ( imò & in  
fide-

fidejussoris personam tantum *l. si unus. 27. §. 1. h. t.* ) conceptum omnino prodest fidejussori *l. & heredi. 21. §. ult. & l. fidejussoris. 23. h. t.* nisi tamen huic contra illum mandati actio nulla sit. *l. quod dictum est. 32. h. t.* ut si donandi animo, *d. l. 32.* vel pro invito aut vetante *l. si pro te. 40. mandat.* fidejussit. Ad personam autem Rei solius, particulam taxativam pactum si sit adstrictum, fidejussori nullatenus prodest *l. nisi hoc. 22. h. t.* quod tamen hodie post *Novell. 4.* ex qua introductum est ordinis beneficium, secus esse puto. Contra, fidejussoris pactum licet in rem conceptum, nil prodest Reo: *d. l. 23. h. t.* nisi tamen vel in rem suam fidejusserit *l. sed si fidejussor. 24. h. t.* vel expresse id actum sit, ut Reo quoque prodest, tunc enim creditori obstat exceptio doli, *juxta l. idem 25. §. ult. cum l. seq. h. t.*

L. V.

Tantum de capite primo: *alterum est de pacto administratoris*, id est, omnis illius, qui aliena negotia administrat, cujus I. species est *Procurator*; cujus pactum & prodesse (saltem ad exceptionem doli) & nocere domino constat *l. rescriptum. 10. §. ult. & l. nam &. 12. h. t.* quia & ei solvi potest *l. quia. 11. eod.* unde secus est, si tantum ad actionem datus sit *l. sed si tantum. 13. pr. h. t.* Summa, servatur pactum etiam nocivum (1) speciale mandatum habentis. (2) procuratoris generalis omnium bonorum: *utrumque juxta d. l. 12. h. t.* (3) in rem suam dati *d. l. 13. §. 1. h. t.* cum loco domini habeatur, *ibid.* II. species est *Magister societatis*: ejus pactum itidem & prodesse & obesse constat *l. item magistro. 14. h. t.* III. exemplum est *Curator Reip.* qui pacto quidem remittere nequit *l. Imperatores. 37. h. t.* acquirere tamen cum posse, suadet frequens Reip. comparatio cum minoribus, quibus prodest pactum curatorum. etenim IV. species administratorum sunt *tutores & curatores eorum*, qui aut ob aetatem, aut alias causas si-

bimet ipsis superesse nequeunt: qui omnes pactis suis pupillo, minori, furioso, prodigo & c. prodesse possunt, obesse nequaquam *l. tutoris. 15. & l. contra juris. 28. §. 1. h. t.* Nota tamen, non posse eos quidem remittere jus liquidum; in casu tamē dubio iis non nihil (maximē si vicissim quid consequantur *arg. d. l. 28. §. ult. in f. h. t.*) permissum esse, *vid. l. interdum fur. 50. §. qui tutelam. 4. de furt. l. jusjurandum. 17. §. si tutor. 2. de jurejur. junct. l. tutor. 35. pr. eod.*

LVI.

*Tertium caput erat, de pacto eorum, qui in alterius sunt potestate, servi nempe filii vè familiars: quod an & quatenus Domino vel patri, profit vel obsit videamus.*

LVII.

Pactum filii vel servi, in rem vel in personam patris dominivè conceptum (sive de eo quod cum ipsis, sive de eo quod cum patre vel domino contractum est) patri dominovè prodest *l. si tibi. 17. §. ult. l. sive de eo. 18. l. adquirent. 19. pr. & l. & heredi. 21. §. 1. h. t.* conceptum in personam ipsorum paciscentium, filii nempe servivè, de eo quod ipsi (non itidem quod pater vel dominus) contraxerunt, patri dominovè, quatenus conveniri poterant, prodest *d. l. adquirent. 19. §. 1. & l. seq. d. l. & heredi. 21. §. 1. h. t.* illi quidem ut & heredi ejus *d. l. 21. pr.* ex personâ filii (unde & non nisi eò vivò *d. l. 21. pr.*) quoad ipsam pacti exceptionem *d. l. 19. §. 1.* huic verò (etiam mortuò servò, quia non ex illius personâ) ad doli tantum exceptionem *d. l. 21. §. 1. h. t.*

LVIII.

Haftenusan profit: nunc an obsit, ut si de non petendo pacti fuerint. Breviter, si in personam ipsorum paciscentium

tium





702  
tium id factum sit, domino parentivé ( quòad filium ipsum aliquando secus est, *juxta d. l. 21. §. filiafam. 3. & seq. & l. in personâ. 30. pr. h. t.* ) nonnocebit: *L. contra juris. 28. §. si filius. 2. h. t.* si verò simpliciter & in rem, ex causâ proprii contractus, paciscantur servus vel filius, tum si liberam habeant peculii administrationem, & res in pactum deducta peculiaris sit, & vicissim quid, in quo non minus, vel etiam amplius sit, consequantur, domino vel parenti præjudicabit. *d. l. 28. §. 2. h. t.*

LIX.

Videamus item, *an pactum patris etiam liberis, & quando vel quatenus profit*: summam, non prodest quidem ad exceptionem pacti, prodest tamen ad exceptionem doli *d. l. 21. §. nos autem. 2. in f. h. t.*

LX.

Et hæc quidem de tertio capite: restat ut de *quarto & ultimo* dicam, nempe *de pacto auctoris & successoris*, & utriusq; vel universalis, vel singularis.

LXI.

Pactum in rem prodesse heredi constat, licet nulla ejus facta sit mentio. prodest item, si nominatim quis adjectus sit, sed ut heres, *arg. l. si tibi. 17. §. si pactus. 4. h. t.*

LXII.

Potest quis expressâ pactione uni ex heredibus prospicere, ita ut cæteri conveniantur efficaciter, illò solò per exceptionem pacti defendendò: *l. avus. 33. h. t.* quòtamen casu à cæteris non integrum, quod debebatur, peti potest. *arg. l. pacto successorum. 26. C. h. t.*

LXIII.

Sicut prodest heredi, ita & eidem obest pactum defuncti in rem conceptum: sicut & alias conventiones, quas defunctus

M.A.M.

functus fecit observare tenetur: *Quòpertinet l. epistola. 52. §. 1. h. t.* In personam verò defuncti solius collatum, heredis petitionem non impedit. *l. qui in fut. 57. §. 1. h. t.*

L X I V.

Pactum emptoris hereditatis nocet venditori, ita ut exceptione doli repellatur. *l. si cum. 16. pr. h. t.* Ratione istâ, quòd qui jus habet, ut me convenire possit, cum eo rectè paciscor.

L X V.

Pactum venditoris etiam rei singularis, item & donatoris, prodest emptori & donatario, sive in rem, sive in personam (illis tamèn, venditore putà & donatore adhuc vivis, *uti limitant Dd. communiter*) conceptum sit. *l. si tibi. 17. §. pactum. 5. h. t.*

L X V I.

Quod possessor alienæ hereditatis pepigit, id heredi si evicerit, neque nocere neque prodesse docet. *d. l. 17. §. pen. h. t.*

L X V I I.

*De Interpretatione pactorum.*

Atq; hæc de casibus, quibus pactum unius alteri prodest vel nocet: nil superest, nisi ut pauca quædam de interpretatione pactorum attingam. In primis pactum non operatur ultra verba: adeoque pactio limitata limitatum producit effectum, *juxta l. si unus. 27. §. 1. h. t.* nec producit ad ea, de quibus non est cogitatum, *quæ species est l. tres fratres. 35. h. t.* nec ultra ea de quibus actum est, *uti docet l. emptor. 47. §. 1. & l. si convenerit. 56. h. t.* & prorsus nec ad aliam rem, nec aliam personam *d. l. 27. §. pacta quæ turpem. 4. in f. §. sed si. 7. & seq. h. t.* ideoquæ nec nocet nec prodest alteri, *ut ostendunt l. inter debitorem. 42. & l. epistola. 52. pr. h. t.* Interpretamur porrò pacta ex mente convenientium *l. emptor. 47. §. 1. h. t.* in dubio autem ita ut valcant potius quàm ut pereant: & in obscuris contra proferentem *l. veteribus. 39. h. t.*

M A N-



# MANTISSÆ.

I.

Effectu nihil interest, utrum doli, an pacti competat exceptio.

II.

Pro X. mutuis qui XI. reddi pactus est, nec ex donatione saltè, id quod datum excedit petere potest.

III.

Si in bello miles hostem sese nullâ aliâ ratione dediturum, sub pactione vitæ servandæ recipiat, wann er ihme quartier zugeben zusaget, nunquid eam promissionem ratam habere Imperator belli tenetur? N. Serres in Henr. Magno de A. 1602. Verùm ad affirmantem ego sum proclivior.

IV.

Bodinus s. de rep. c. 6. rectè excusat Franciscum I. Gallia regem, quòd non paruerit conditionibus, sub quibus à Carolo V. Imperatore dimissus erat.

V.

Succesio hereditaria olim non nisi duplex erat, testamentaria videlicet & legitima: moribus verò hodiernis accessit tertia species, conventionalis nempe, ubi pactum est de successione mutua inter familias illustres, quæ Confraternitas, Erbverbrüderung / Item Erbverbanderung dici consuevit.

VI.

Pactum filie dote acceptâ juratò renunciantis hereditati paternæ, liberis ipsius quoq; præjudicat, per ea quæ habet Bachov. ad Treutl. vol. I. disp. 6. §. 8. lit. G.

VII.

Filia prædictò modò renuncians, deficiente penitus omni prole masculâ, amplius exclusâ censeri non debet: nisi tamen tempore renunciationis sorores solùm extiterint, & nulla mascula sobolis spes, & insuper reliquæ sorores nullâ ab iis exactâ renuntiatione elocata fuerint.

VIII.

Innocentius Pontifex in cap. si diligenti. de foro comp. insigniter nugatur, dum ex ratione L. jus publicum. 38. ff. de pact. probare nititur, Clericum non posse renuntiare privilegio fori, & prorogare jurisdictionem

D

nem



*nem iudicis laici: certissimò siquidem jure constat, quemvis privatim pro-  
rogare posse, ita ut regula d.l. non offendatur.*

## P A R E R G A.

### I.

*Auctoritas Iustiniani, sicut sarta tecta est in sancendis Legibus (&  
hoc tamen quatenus in Rep. nostrâ non abrogatae sunt) ita nullius planè est  
momenti in his, quae excedunt terminos Legislationis, & ex principis alia-  
rum disciplinarum dependent. Bachov. in Comment. ad πρῶτα tit. de  
adopt. cap. 4. n. 8.*

### II.

*Sapè Iurium Interpp. ratione & rebus ipsis pugnantiâ quòvis pa-  
ctò student conciliare: quasi religioni sit habendum, si perhibeamus, in tam  
difficili & longo Iuris opere, compositores ejus aliquando dormitasse. Wesem-  
bec. parat. de pact. n. 9.*

### III.

*Nec Apostoli, nec conditoris Canonis est, corrigere & tollere Leges  
civiles, ubi non est questio de peccato, Castr. in l. decreto 15. C. ex quib.  
caus. inf. irrog.*

### IV.

*Suaviter delirat Pontifex quando in cap. 1. de constit. in 6. o-  
mnia jura in scrinio pectoris sui se habere ait: scilicet ineptus ille affectat imi-  
tari Imperatores Honor. & Theodos. A. A. in l. omnium. 19. C. de testam.  
ubi jus totum in scriniis suis constitutum esse ajunt.*

### V.

*Qui ex Novel. 1. in f. ubi Iustinianus Legem inibi à se latam neq;  
in paupertate vivere, neq; in anxietate mori permittere ait, inferre amant,  
qui juri civili operam dederit, ei semper opum abundè affuturum, peponem  
pro corde, fungum pro cerebro habent. Quid enim? annon Massurium Sabi-  
num, cum amplas facultates non haberet, plurimùm à suis auditoribus sit-  
stentatum, scribit Pomponius in l. 2. §. ult. de Orig. Jur.*

## F I N I S.

X 2615926

VD.17





Inches  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



JURIDICA  
**CTIS**  
M 1633, 2.  
*demia Argenti-*  
22  
I D E  
ULTISSIMO  
O DAVIDE  
I. D. ET P. P. FA  
cano : Dn. suo, Præ-  
e observanter  
o,  
examinandam  
t  
HAUPERTUS,  
Palatinus.  
i, 27. die Julii.  
RATI.  
PPII, Anno 1633.



IUS CIVILE

